



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXVIII. De solvendis Legatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XXVIII.

De solvendis Legatis.

CRispinus in testamento à se condito legavit Ecclesiæ S. Martini 20. modios tritici solvendos quot annis ex agro Ecclesiæ vicino à se designato, ex quo postea deteriore effecto non tot fructus percipiuntur, qui legatum adæquent. Præterea 200. fl. annuos reliquit feminis in matrimonium collocandis, Titia verò famulæ domesticæ 30. fl. si commorata fuerit cum uxore sua Rosalia, quæ tamen post biennium ad secunda vota transiit, & insuper centum fl. pauperibus distribuendos, quos tamen hæres uni soli pauperi magis indigenti applicavit.

QUÆR. I. An in casu posito Ecclesiæ solvendi sint omnes 20. modii tritici ex illo agro deteriore reddito?

QUÆR. II. An Legatum relictum pro feminis in matrimonium collocandis concedi possit Viduis ad secundas nuptias transeuntibus?

QUÆR. III. An Legatum relictum pro Virginibus maritandis acceptari, & retineri possit ab ea, quæ Virgo non est, sed occultè corrupta?

QUÆR. IV. An Legatum relictum Titia famulæ, si cum uxore Rosalia habitaverit, amittatur, Rosalia uxore ad secunda vota transeunte?

QUÆR. V. An legatum pro pauperibus relictum, applicandum sit magis indigentibus?

164 **A**D I. Q. Attendendum, videndumque est, an legatum positum sit taxativè, & limitativè; an verò demonstrativè? Si taxativè ponatur, non esse majorem pensionem solvendam, quàm ea sit, quæ ex re designata percipitur, docet communis DD. apud Bonac. de contract. D. 3. q. 17. pun. 8. §. 3. Secùs si apponatur demon-

demonstrativè. Ad cognoscendum autem, & colligendum, an in ejusmodi dubiis dispositionibus res à Testatore apposta sit taxativè, an verò demonstrativè, has regulas tradunt DD. Prima, quam ex Felino, Paulo de Castro, & aliis tradit Marchin. de ord. t. 3. p. 2. c. 22. est, quòd id, quod primò profertur, principaliter à Testatore intendi dicendum sit; quod verò secundo loco minùs principaliter. Quare si v. g. primo loco dicatur, esse tot Missas celebrandas, dein verò apponatur assignatio pecuniæ, demonstrativè erit talis pecuniæ assignatio, & principaliter tot Missæ intenduntur; quo in casu non ad solam pecuniam assignatam, sed etiam ad supplementum obligatos esse hæredes affirmant. Si verò primo loco assignetur tanta pecunia, & deinde subdatur, quot Missæ sint celebrandæ, talis pecuniæ assignatio taxativè se habet, & tot Missæ minùs principaliter intenduntur, & ad solam assignatam pecuniam, non verò ad supplementum teneri hæredes ajunt.

Secunda regula est, quam tradunt March. l. c. Bonac. l. c. Sanch. Gavant. aliique, videlicet tunc legatum censeri appositum demonstrativè, quando celebratur seu exprimitur duplici oratione, ut si dicatur, lego centum fl. Titio, quos volo ex redditibus talis fundi persolvi

(unâ scilicet, lego centum Titio alterâ, quos volo solvi &c.) in quo casu cum fundus apponatur demonstrativè, centum fl. solvendi sunt, etiamsi totidem ex tali fundo non percipiantur, l. quidem testamento, in principio, ff. de legat. 1. si verò legatum concipiatur unice duntaxat perfecta oratione, ut si dicatur, volo dari centum Titio ex fructibus talis fundi, legatum tunc taxativè factum est, & in hoc casu si centum non percipiantur ex eo fundo, hæres non tenetur aliunde compensare, & supplere. L. nomen debitoris. §. uni ex hæredibus, ff. de legat. 3.

Vel brevius, clariusque, illa sunt verba taxativa, quæ stant per se, id est, sola absque dependentia aliorum verborum reddunt sensum perfectum ab alio quopiam distinctum; demonstrativè verò sunt illa, quæ dependent ab aliis, id est, non habent sensum perfectum sine illis, ut colligitur ex allatis suprâ exemplis. Hæ regulæ, & modi indagandi mentem Testatoris à jurisperitis benè excogitati, rem expeditam non reddunt, nec ex integro satisfaciunt Tamburino l. 3. c. 1. §. 3. n. 80. quia in utraque regula, seu modo res à Notario, vel scriba dependebit, qui vel unica oratione, vel multiplici, vel priore, vel posteriore loco, legatum, suo arbitrato, sine ullo defectu scribere solent, aut possunt; Nec videtur rationale & suffi-

sufficiens discrimen inter hæc, sed idem sonare: *Volo quinque Missas pro pinque Julis dandis, & pro quinque Julis dandis volo quinque Missas.* Et aureos trigenta ex fructibus talis fundi jubeo persolvi, & aureos trigenta, quos jubeo ex tali fundo persolvi: Cur igitur, inquit, in una dispositione hæredem obligabo, non item in altera? Unde alii cum Prixiano apud March. l. c. n. 1. & 2. alia etiam media suppeditant colligendæ in dubio mentis Testatoris, & juxta Tamb. l. c. sequentia juvare poterunt, 1. Quod non sit imponendum onus grave, nisi certò de illo constet, prout tunc non certò constat, quando verba Testatoris dubia sunt. 2. Quia in dubio melior est conditio possidentis, at nunc hæres jam possidet. 3. Quod non ignobiles DD. cum Molin. Sanch. Menoch. Mantica, Bonac. doceant, semper præsumi Testatorem voluisse gravare hæredem quàm minimum possibile est, *L. unum ex fam. §. si rem ff. de legat. 2.* & in dubio semper fieri interpretationem pro hærede contra legatarium, *L. apud Jul. §. scio ff. de legat. 1.*

Ex quibus, & traditis regulis colligi potest responsio ad 1. Q. cum illud legatum videatur taxativè positum, scilicet lego Ecclesiæ 20. modios tritici ex illo agro solvendos; adeoque non esse in dubio imponendum certum onus grave hæredi ad supplendum, sed potius in dubio faciendam esse in-

R. P. Leonardelli Soc. Jes.

terpretationem pro hærede contra legatarium.

Ad 2. Q. Legatum relictum pro 165 fæminis maritandis posse conferri etiam viduis secundò nupturis, censent Ripa rubr. C. de sec. nupt. n. 4. & 5. Decius rubr. C. de secund. nupt. n. 3. Sylv. verb. Legatum 1. q. 5. n. 9. cum Gloss. C. Apariant. verb. Trigamos, 31. q. 2. Ubi ait per nuptias non solas primas, sed ultteriores designari. Verùm contrarium longè verius est, & omninò tenendum cum, & apud Sanch. l. 7. D. 91. n. 55. Palao de spons. D. 4. p. 13. §. 7. n. 32. Bonac. de Contract. D. 3. q. 17. pun. 8. §. 4. n. 8. Bald. in proam. decr. n. 25. Præp. rubr. de spons. n. 14. Jaf. l. duobus, §. si ei qui &c. n. 2. Refell. Mantica Tiraq. Gutier. & aliis, contententibus solis fæminis primò nubentibus legatum conferendum esse; quia ea Testatoris verba de solis primis nuptiis intelligi debent. Argum. leg. Boves, §. hoc sermone, ff. de verb. signific. ibi: hoc sermone, dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur,

Hoc tamen limitant, ac temperant citt. DD. Primò, ne procedat in vidua, quæ prius matrimonium non consummavit, quia comparatione talis matrimonii secundæ nuptiæ primæ censeri debent, nec nuptiæ non consummate, nuptiæ integræ, & perfectæ appellantur, perindeque re-

Z

ipfa

ipsa est, ac si nunquam nupsisset, atque adeò legatum tunc capere potest. Secundò limitant, ne procedat in vidua, cujus prius matrimonium irritum, & nullum fuit, quia non debet impedimentum præstare, quod de jure non sortitur effectum, nec talis vidua secundò nubit, cum primæ nuptiæ, utpote irritæ, nuptiæ re ipsa non sint. Tertiò temperant pro casu, quo nullæ essent fæminæ ætate nobiles, quibus possent id legatum impertiri; tunc enim ex verisimili Testatoris mente, ne opus pium differatur, viduis conferri potest; nisi, ut notat Palao l. c. legatum certæ determinatæ personæ factum sit, quæ tamen 12. ætatis annum nondum nacta sit, tunc enim alteri applicari nequit; quia Testator eam personam determinatè designans dilationi legati tradendi consentit, eò quòd legatum, quousque fæmina nuptiis apta sit, concedi non debeat, cum non urgeat causa, ob quam factum est. Neque fæminis jam maritalis etiam pauperibus legatum pro fæminis maritalibus relicto concedi potest, ut notant Palao. l. c. n. 33, Sanch. & alii citt. quia deficit finis Testatoris, eò, quòd Testator eo legato intenderit, ne fæminæ defectu dotis innuptæ maneant, neve earum pudicitia periclitetur, quæ ratio in fæminis jam maritalis cessat,

Ad 3. Q. An legatum relicto 166 pro virginibus maritalibus possit tuto acceptari, ac retineri ab ea, quæ occultè corrupta est, sed publicè habetur pro virgine, affirmativè respondent Diana in comp. V. legatum. n. 21. Delben d. 21. S. 8. Laym. l. 3. n. 3. p. 2. c. 3. La Croix l. 3. p. 2. n. 604. & l. 4. n. 4. & alii. Rationem dant, quia acceptando, & retinendo, aut petendo legatum, seu dotem nullam injuriam infert; cum enim publicè virgo habeatur in externa politia omnibus virginum privilegiis gaudet, ut juxta morem patrum etiam fertum v. g. capite gestare possit, atque adeò etiam dotem quasi virgo petere, & acceptare. Neque alia Testatoris mens fuit, quàm ut dos daretur puellæ, quæ publicè conferretur virgo, & casta, interim non inquirendo in occulta crimina, cum id neque conveniens, neque Reipublicæ expediens sit. Unde illud discriminis observat, & dat Laym. l. c. inter simulatum pauperem, & simulatam virginem, quòd pauperis simulatio injusta, ac perniciofa sit; hæc autem jus habeat simulandi, seu potius dissimulandi suum delictum, quamdiu bonam famam publicè retinet, & pro virgine habetur; ex quo infert, non licere tibi, qui illam corruptam esse nosti, occultam ejus fornicationem prodere, nisi fortè, ut notat Sa ver. injuria, n. 3. jus habeas accusandi de crimine

crimine occulto, quod probari potest.

2. c. 6. n. 16. Castropal. t. 16. d. 2. p. 8. n. 13. Sanch. in Dec. l. 5. c. 5. n. 22. & alii.

Ex eodem fundamento affirmat Suarez cum aliis *t. 4. tr. 9. l. 1. c. 11.* non peccare occultè corruptam petendo admitti in S. aliquem Ordinem inter virgines, (nisi fortè per specialem constitutionem talis Ordinis excluderetur non virgo etiam occulta.) Rationem dat; quia viduæ, vel non virgines nullo jure prohibentur admitti, potestque talis occultè corrupta se gerere pro tali, qualis publicè, & in communi æstimatione habetur: imò juxta eundem *D. n. 9. Less. V. consecratio cas. 3.* & alios, posse etiam, siquidem res sit & maneat occulta, acceptare velum professionis, & consecrationis, uti virgines solent. Idque etiam sine interventu mendacii, etsi in formula consecrationis dicatur virgo; quia unusquisque censetur loqui in eo foro, in quo operatur: ergo cum sit virgo in foro externo, & publicè pro virgine habeatur, poterit publicè, & in actu fori externi nominari talis, qualis in communi hominum opinione, & foro externo habetur.

An autem ejusmodi occultè corrupta inhabilis sit ad officium Abbatissæ, vel Priorissæ? affirmant aliqui; sed contrarium probabilius tenent Suarez *t. 4. tr. 8. l.*

Ad 4. Q. An legatum Titiaæ famulae relictum à Testatore, si cum uxore Rosalia habitaverit, eidem debeatur, Rosalia vidua ad secundas nuptias transeunte? R. affirmativè cum Sanch. *l. 7. D. 91. n. 52.* Palao. *D. 4. p. 13. §. 7. n. 29.* aliisque ab his citt. etiam si famula cum Rosalia non commoretur. Ratio est; quia Testator intendit eo legato obligare legatarium, ut quantum in se est, cum uxore habitet: at transeunte ipsa ad secundas nuptias cessat esse Testatoris uxor, & reputatur uxor respectu Testatoris, & legatarii, ac si mortua esset, *l. ult. C. de bon. mat.* ergo quamvis legatarius non commoretur cum illa, non est illi culpæ tribuendum, cum non stet per legatarium non famulari uxori Testatoris, censeturque conditio jam impleta; Atque adeò non est, cur legatum amitti debeat, sicut pluribus probat Simon de Pretis *de interpret. ult. volunt. l. 1. interp. l. circa legata dub. 10.*

Ad 5. Q. An legatum pro pauperibus relictum magis indigentibus applicari debeat? R. negativè cum Thom. Sanch. & aliis *l. 4. consil. moral. cap. 1. n. 60.* Ratio est; tum quia nequit ostendi, ex quo capite executor legati

Z 2

oblige-

obligetur ad eam distributionem faciendam, si id testator non expressit; tum quia magis pauperes non habent majus jus præ aliis pauperibus, ut sibi potius, quam aliis legatum applicetur; tum quia cum difficile admodum sit indagare, & rescire, quinam pauperes magis, quinam minus indigeant, non est censendus testator eam obligationem voluisse imponere executori legati, alias id expressisset.

Porrò legata facta in subsidium pauperum ordinariè distribuenda sunt pauperibus illius loci, in quo testator domicilium habebat, & habitabat, sicut cum compluribus notant Lugo *D. 24. §. II.* & Sanch. *l. c. n. 1.* & colligitur ex *leg. si quis ad declinandum, Cod. de Episc. & Cleric.* quia ea censetur esse mens testatoris, nisi aliud aliunde constet.

